

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 80

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus gratia Dei rex. Si servorum Dei et nostrorum fidelium non irrationabilibus petitionibus benignum assensum praebemus, regiam consuetudinem exercemus ac per hoc aeternae beatitudinis gloriam facilius nos adepturos sine dubio confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus et nostris, praesentibus atque futuris, quia venerabilis vir Wigchardus, coenobii sancti Martini reverendus sacerdos, ad nostram accedens sublimitatem, humiliter petiit ut cellam in honore sanctae Columbae constructam et a nobis sibi cum suis omnibus appendiciis beneficiario jure concessam, omnibus suae vitae diebus habendam, illi denuo concedere regaliterque confirmare dignaremur. Cujus, inquam, supplicem petitionem clementer audientes, hoc magnitudinis nostrae scriptum fieri jussimus, per quod praenominatam sanctae Columbae cellam cum omni sibi appendentium rerum integritate memorato venerando sacerdoti Wichardo sub dominio et potestate rectoris praescripti sacratissimi patris nostri Martini monasterii per omnia tempora vitae suae habendam concedimus et regaliter confirmamus, videlicet ut sine cujuscumque contradictione aut illicita minoratione eandem saepe dictam cellam integerrime, veluti praemissum est, omnibus suae vitae diebus teneat et in nostra fidelitate persistens beneficiario jure possideat omnibusque annis ad partem camerae nostrae vel abbatis, quem divina misericordia praestituendum eidem loco nobis inspirare dignata fuerit, die sancto festivitatis ejusdem reverendissimi confessoris atque pontificis Martini, duas libras argenti persolvere non negligat nec amplius servitii ab ullo rectore quaeratur indebite aut exigatur illicite, nisi tantum refectio fratrum instituta secundum debitum morem, sicque eam habendo liberius, absolutius meliusque possit militare necnon in divinis auctoritatibus magis persistere. Ut autem haec serenitatis nostrae confirmatio meliorem in Dei nomine obtineat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Bartholomeus notarius ad vicem Hludowici recognovi et subscripsi.

Data VIII id. novembris, indictione..., anno XII regnante Karolo glorioso rege. Actum Turonis, monasterio sancti Martini. In Dei nomine feliciter. Amen.